



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 80. Caput X. Beneficia Regularia regularibus concedantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæc. XVI. capite sexto de Reformatione, ubi agitur de unione perpetua beneficiorum, quamvis autem diversarum Diœcesium beneficia uniri ibidem prohibeatur, nihilominus plura exempla huic decreto contraria occurrunt. Ceterum nunquam duæ uniuntur Parochiales Ecclesiæ, ne Diœceses commisceantur, vel idem Parochus duobus Episcopis sit simul subjectus, sicut nec etiam, absque facta legis gratia, duo beneficia suorum, ac diversorum ordinum, minus vero beneficium Patronatus Ecclesiastici cum alio, in quod Jus Patronatus competit Laico, uniri permittitur.

§. LXXX.

C A P U T. X.

Beneficia regularia regularibus concedantur.

„Regularia beneficia, in titulum regularibus professis provideri consueti, cum per obitum, aut resignationem, vel alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosi tantum illius Ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino, lanaque contextam induant, conferantur.

Hæc

Hæc regula : *Regularia Regularibus*, Sæcul. XVI.
saecularia saecularibus duabus innititur rationibus, quarum primam adstruit necessitas fundatorum voluntatem exequendi, altera vero innititur decentiæ, cum minus deceat, quod homines diversæ professionis, ac habitus ejusdem Ecclesiæ Regimini præsent: quapropter eadem Synodus capite vigesimo primo monet *Sanctissimum Romanum Pontificem* pro sua pietate, & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre posse viderit, ut iis, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos conventus habent, regulares personæ, ejusdem Ordinis expresse professi, & quæ gregi præire, & præesse possint, præficiantur: quæ vero in posterum vacabunt, non nisi Regularibus spectatæ virtutis, & Sanctitatis conferantur: quoad ea vero monasteria, quæ Capita sunt, ac Primates Ordinum, sive Abbatia, sive Prioratus, filia illorum Capitem nuncupantur; tenentur illi, qui in præsentia ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses religionem illorum Ordinum propriam solemniter profiteri, aut iis cedere: alias commendæ prædictæ ipso jure vacare censeantur.

Verum quamvis Laici beneficia regularia in titulum possidere nequeant, poterunt tamen ea obtinere in commendam, quinimo Regulares pariter, acce-

A. C. 1551.

Sæc. XVI. accedente legis gratia , sæcularia bene-
 A.C. 1551. ficia tenere possunt , prout pluribus e-
 xemplis comprobatum exstat.

§. LXXXI.

C A P U T XI.

*De Regularibus ab uno Monasterio ad
 aliud transeuntibus.*

„Quia vero Regulares de uno ad a-
 „lium Ordinem translati , facile
 „a suo Superiore licentiam standi extra
 „monasterium obtinere solent , ex quo
 „vagandi , & apostatandi occasio tri-
 „buitur : nemo cujuscunque ordinis
 „prælatus , vel Superior , vigore cujus-
 „cunque facultatis aliquem ad habitum,
 „& professionem admittere possit , nisi
 „ut in ordine ipso , ad quem transfertur,
 „sub sui Superioris obedientia in clau-
 „stro perpetuo maneat , ac taliter trans-
 „latus , etiamsi Canonorum regula-
 „rium fuerit , ad beneficia sæcularia,
 „etiam curata , omnino incapax exi-
 „stat.

Nihilominus Innocentius III. in sua
 Constitutione , quæ incipit , *licet quibus-*
dam , extra , de regularibus concedit his
 ipsis , quod , postquam a suo Prælato li-
 centiam transeundi ad arctiorem Religionem
 postulaverint , libere possint Sanctioris vite
 propositum adimplere , non obstante indis-
 creti